TIBERII IMP.

DE DIVINIS DOMIBUS

CONSTITUTIO.

HENRICO AGYLÆO INTERPRETE.

In nomine Domini Jesu Christi Dei nostri.

Imperator Cæsar Flavius Tiberius Constantinus, fidelis in Christo, clementiss., beneficentiss., pacificus, Alamanicus, Gotthicus, Francicus, Germanicus, Alanicus, Wandalicus, Africanus, pius, felix, inclytus, victor, triumphator, semper colendus, aug. sacratiss. Senatui.

PRÆFATIO.

Cum opera sint, quæ Deo conveniant, simulque eundem cum humano genere ortum habeant, in supplices beneficum esse, maleficia extirpare, et quæcunque subditis utilia sunt, ea et meditari et facere : tum ea ipsa nos præcipuum imperatoriæ majestatis insigne esse arbitrati, ex quo Deus nobis reipublicæ imperium atque gubernacula dedit, nulla (ut ita loqui liceat) neque die neque nocte quicquam earum rerum studio antiquius cariusque habuimus. Hinc certe quum permulti qui partim in inclyta hac urbe habitarent, partim ex omnibus ferme subditorum nostrorum provinciis *alii aliunde prodirent,* diversimode nos adierint : *qui iidem* quum prope possessiones domusque quaspiam imperatorias prædia et bona sua haberent, aliisque rebus et controversiis involuti essent, variis injuriarum modis a procuratoribus, chartulariis, conductoribus, et qui alioqui ad imperatorias domus attinent, in se peccari annunciarent, *atque* res mobiles, interdum etiam possessiones, agros et agricolas sibi ereptos lamentarentur : *ea autem ratione, quod* illi aliquid faciendum conducere ab ipsis alienis prædiis et agris defensionem quæ illis non competat, tribuant, tabulasque imperatorias ac signacula [1] affigant, et (ut uno verbo dicamus) quæ ad ipsos non pertinent, suo dominio subjiciant : *quod* aliorum adversus alios nulla ratione nitentes lites suscipiant, itaque et actores rebus sibi debitis potiri non sinant, et reis citra judicium indictaque causa debiti exactionem vi inducant : *ad extremum vero, quod* ut nonnulli fraude inducti, rerum debitarum syngraphas in ipsas divinas domus concipiant et conscribant, efficiant, alienisque emptionum, aut fortasse donationum contractibus, in eorum qui aliis debent circumscriptionem immisceant : *inde (inquam) factum est, ut* quæcunque ad nostras aures pervenerint, de iis recte et competenter statuerimus, quum iis quidem restitui ablata jusserimus, ac incompetentes defensiones interdixerimus [2] : illos vero a judiciis liberaverimus, debitorumque syngraphas irritas judicaverimus, et fraudes [3] in contractibus fieri solitas prohibuerimus : quum denique imperatoriarum domuum procuratores leges justumque pietatis nostræ propositum sequi jusserimus. Verum quoniam impossibile est, ut extranei, quique procul hinc habitant, pariter omnes huc conveniant, utque nos singulatim omnia quæ ad hunc modum fiunt, ubique manifesta faciamus : quæ ad hæc attinent, evidenti lege explicare visum est, quo non solum nostræ ætatis, verumetiam omnis futuri ævi hominibus nostrum æquitatis justitiæque studium innotescat. *Innotescat vero* etiam quam imperatoriis nostris ædibus, quive illis præsunt, si quid delinquant, non parcamus : *quomodoque* si subditis bene sit, id nostram [4] esse opulentiam felicitatemque, et (quia non solum divinarum domuum negotia, verum etiam communia præsentis reipublicæ nos cognoscere par est) subditorum facultates, quantum ad curam, nihil [5] ab imperatoriis differre existimemus.

CAP. I.

Statuimus igitur, ut nulli gloriosissimorum, magnificentissimorumve divinarum nostrarum, aut pientiss. Augustæ domuum (quibus et patrimonialis et regia domus, quæ ante novas ecclesias sita est, annumeranda est) curatores, aut chartularii, aut provisores, aut conductores, aut quicunque alii ad easdem divinas domus pertinent, vel tabulas quæ nostram appellationem contineant, vel effigies [6] insigniave imperatoria alienis ædibus aut prædiis vel mobilibus defunctorum, aut etiamnum superstitum rebus signacula imponere, vel aliorum rusticos suscipere, vel solutiones aliquas quæ ipsos aut etiam ipsorum proventus transferant, in Augustalem domum faciendas curare in posterum ausint : neque si etiam earundem domuum, prædiorum, rerum, aut rusticorum partem aliquam ad Augustas ædes pertinere contingat, hinc adversus eos qui una cum ipsis possident, fraudis læsionisque occasionem capiant

CAP. II.

Quin et si quos rusticos, qui in aliorum mancipio sunt in præsenti ipsos habere, aut quales diximus solutiones accepisse constet, simul ipsos rusticos restitui, simul ipsas solutiones irritas esse jubemus. Quod si de his rebus aut etiam de aliquibus contractibus actionem se habere adversus alios dicant, nequaquam reum ad se trahant, neque (id quod et absurdissimum et iniquissimum putamus) suarum [7] controversiarum judices sedeant, liceat autem ipsis ut coram competente judice, sub quo sunt qui actiones sustineant, litem moveant, simulque jus suum obtineant. At si ipsos gloriosissimos magnificentissimosque curatores, divinarum domuum, quarum curam gerunt, nomine ab aliis in jus vocari contingat, tum quidem si hic actio instituatur communi et actoris et Augustalis domus curatoris consensu, unus ex gloriosissimis nostris præfectis ad rei examinationem dijudicationemque eligatur : et si (ut fieri assolet) contentio huc insurgat, libellus supplex principi offeratur, datusque ab ipso judex suscipiatur : si vero in provincia aliqua, ejus præses controversiam sibi audiendam sumat. Cæterum si quis chartularius, emphyteuta, conductor, aut colonus Augustalium rerum occasione in jus vocetur, facultas sit actori, si velit, ut coram ipso Augustalis domus curatore, aut (si suspectum illum habeat) in alio foro coram eo coram quo communiter visum sit, aut etiam quem ex imperiali jussu hic nacti fuerint, actionem instituat. Quæ vero istiusmodi controversiæ in provinciis movebuntur, eas cujusque provinciæ præses audiendas assumet. Sane quæ iisdem divinis domibus privilegia [8] jam concessa sunt, ea non in his, sed in litium sumptibus observentur, pro inducendis *nempe* (quomodo dicitur) legendis et edendis, atque in aliis quæ circa lites fiunt sumptibus, ut nemo constitutum horum modum transgredi audeat, judiciorumque ministri eo contenti esse debeant. Illis vero etiam qui adversus ipsas Augustas ædes, earum curatores, provisores, conductores, chartularios aut colonos actionem dictant, ut iisdem utantur privilegiis facultas fuerit : ut ne in hoc quidem (quo tamen legibus nostris constitutum est modo) illis esse inferiores videantur.

CAP. III.

Porro quia nonnullos esse scimus, qui quum creditores suos debitis defraudare volunt [9], res suas illis oppigneratas alicui nostrarum ædium aut vendunt aut donant, aut alio quocunque contractu perscribunt, et per

Præf. — 1. L. 2, C. ut nemo privatus titulos præd. suis vel alienis imponat. — 2. Fac. lib. 2, C. 14, 15, 16, 17, 18. — 3. L. 1, C. de legib. — 4. Fac. N. 8, in pr. § 1; L. 3, C. de naturalib. lib. — 5. Adde N. 149, c. 3, in fin. — 6. Adde N. 17, c. 15. — 7. L. 10, D. de jurisdictione. — 8. tit. C. de privileg. dom. Aug. — 9. Adde L. 1, D. de alienatione judicii mut. caus.

illas medias in alios vel cognatos vel familiares aliquo contractus modo transferendas curant : ut hac ratione hypothecæ jus miserum in modum iis qui pecunias suas erogarint, fere dispereat : dum divinæ domus præfectus (per quem hæc facta esse dicuntur) propter potestatem quam habet movendam de his rebus actionem non suscipit : et qui rem percepit contractum cum divina domo initum prætendit, per datumque domui privilegium a nemine actione conveniri sustinet : *insuper etiam quia esse scimus,* qui domibus, locis, aut aliquibus unius cujuspiam Augustarum ædium officinis majore aut quacunque mercede conductis illarum rerum prærogativa utantur : itaque creditores, aut etiam qui ipsis actiones intentant, et arceant et oblædant : idcirco jubemus ne quis de reliquo subdolis commentis adversus creditores suos uti audeat, neque per divinam domum mediam cum alio donationem aut contractum instituat : *sciens* quod nullum [10] fructum ex versutia sua percepturus est, quum res alienata ubicumque fuerit, sive penes divinam domum, sive penes alium quempiam, nihilominus vindicari poterit, et omnia ei qui actiones aut etiam hypothecæ jus habet, integra atque illæsa, perinde ac si nihil intervenisset, servabuntur. Ad hoc etiam, si quid hujus commenti causa ipsi divinæ domui ejusve procuratori captandæ benevolentiæ ratione datum esse contingat, eo qui dedit excidet, hancque (quamquam minorem quam pro merito) remunerationem feret.

CAP. IV.

Cæterum neque per earum ædium quæ ad imperatorias domus pertinent inquilinos, neque per alienos colonos, aut alium quempiam omnium, divinarum ædium præfecti aliquid faciendum conducant, neque illis patrocinium tribuant, aut quod πατρωνίκιον dicitur, ex liberis aliquibus, exactionibusve obnoxiis, aut decurionum etiam, quæve in universum ad alios pertinent, prædiis capiant : ac vero ab his omnibus desistant. Et si tabulæ aut insignia imperatoria istiusmodi prædiis, domibus, officinis aut locis jam affixa sint, hæc detrahant [11], aliisque qui illa detrahunt, quasi nostro jussu id faciant, nequaquam contradicant. Ad hæc quietem agant, adversusque inquilinos, et qui quocunque modo tenentur, coram competentibus tribunalibus moveri actiones sinant : ac nullum ad alienas controversias, aut res, aut jus, aut prædia, horumve colonos accessum habeant, neque adversus aliquos actiones cedant, aut has *ab aliis* assumant : itaque alios, ut istiusmodi actionibus obnoxios, in jus vocent. Etenim hanc injuriæ rationem omnino tolli jubemus, etiamsi donationis modo istiusmodi actiones ipsarum dominus in nos divinasque nostras ædes transferat, et quæ justa videantur, debita se habere dicat : ne *videlicet* hoc commento aliis iniquitatis quicquam obveniat. Istiusmodi [12] si quidem donationes nobis curæ non sunt, neque calumniæ opinionem auferre et subire nostrarum divinarum domuum procuratores volumus : utpote qui singulis (ut dicitur) diebus nostra subditis donemus, magnamque rerum mobilium immobiliumque et pecuniarum vim prope omnibus elargiamur. Facultas vero cuique sit, ut quas se habere actiones dicit eas adversus obnoxios secundum consentanee in hoc obtinentem modum, nullo Augustarum domuum præfecto interposito, moveat : et quando sua per legem recuperarit, de his quocunque velit modo statuat. Ipsas enim actionum cessiones, quod fraudis et calumniæ ansam complectantur, et odimus et aversamur. Quapropter etiamsi quæ hujusmodi in ipsas divinas domus jam conscriptæ sunt, has irritas constituimus, et [13] nullam illas petitionem exactionemque habere concedimus, ut hi adversus quos factæ sunt, inde provenientibus actionibus liberentur, hancque pœnam iis qui has cessiones facere ausi fuerint, imponimus.

CAP. V.

Si vero etiam ipsarum Augustarum domuum præfecti, aut chartularii, aut emphyteutæ, aut conductores, aut dispensatores, aut qui alioqui ad illas pertinent, ob res privatim ad ipsos pertinentes ab aliquibus coram competentibus magistratibus in jus vocentur, ipsos prompte obedire jubemus, et secundum procedendi ex lege ordinem actiones suscipere, indeque manantibus exactionibus cedere, idque perinde ac si ad divina domus nihil pertinerent : ne hac potestate eos qui adversus ipsos actiones habent oblædere, iisque quæ debent fraudare videantur. Adeo autem ab istiusmodi injuriis divinas nostras domus alienare cogitamus, ut controversias apud illarum magnificentissimos gloriosissimosve curatores sive in scriptis, sive sine scriptis jam motas, ulterius procedere non sinamus, extra quam [14] si utraque pars sponte id facere velit. Quod sane si utraque pars non velit, *volumus* ut unus aliquis nostrorum magistratuum, in quem partes consenserint, quemve etiam nos assignaverimus, secundum hoc quod recens a nobis constitutum est, controversiam a quocumque horum examinatam, quæque in illa forte acta sunt, suscipiat, ac deinceps audiat, quæque legibus conveniant, de ea statuat.

CAP. VI.

De oneribus profecto etiam, et metatis et angariis, et viarum [15] pontiumque instaurationibus, de descriptionibus quoque et indictionibus tractare nobis visum est : ac ne hæc indistincta maneant, consentanea quædam justissimo nostro proposito de illis præscriptio procedat. Quum enim privilegia jam olim Augustalibus domibus data ab his illas eximant, recte animum nostrum subiit, ut rei utilem et necessarium ordinem imponeremus. Si etenim ob imperatoriorum exercituum, qui in barbaros emittuntur, transitum, aut etiam nostro jussu, quo abunde huic inclytæ civitati annonæ sit, aliarumve occasionum causa, specierum quandam contributionem [16] fieri contingat : his omnibus non modo alios subditos, verum Augustarum domuum possessiones et habitacula profecto etiam obnoxia esse volumus. Ac sane citra has causas, ne divinæ domus, neque alius subditorum quisquam molestia afficiantur, jubemus : neque ut tale aliquid illata necessitate fiat permittimus.

10. L. 10, in fin. D. soluto matrim. — 11. N. 28, c. 5, § 1; L. 2, C. ut nemo privatus. — 12. Adde L. pen. D. de heredib. instit. — 13. L. ult. C. ne liceat potentiorib. — 14. Fac. L. 29, circa fin. C. de pactis; N. 156, c. 1, circa fin. — 15. L. 7, C. de sacros. eccles ; L. 4, C. de privileg. dom. Aug. — 16. tit. C. ut nemini liceat in empt. spec.

CONSTIT. II.

DE [1] HEREDIBUS.

Deo simul et justitia nihil majus existit : absque his enim nihil unquam commode geri potest, et præcipue in nostra hac republica. Exinde enim et recte regnare, et subditos ad benevolentiam, neque non ad summam licet attrahere devotionem. Ea propter cum et nos divinitus, perque justitiam, imperii sceptra susceperimus : et quæ sequuntur.

CONSTIT. III.

DE [1] PROVINCIARUM PRÆSIDIBUS.

Non tantum decenter leges ferre summo bono est : sed etiam sancita accurate custodire, et ad effectum deducere, transgressoresque competentibus pœnis subjicere. Quæ enim [2] legum erit utilitas, si in literis duntaxat consistant, non etiam per ipsa facta atque opera subditis utilitatem de se præbeant? et quæ sequuntur.

*Novella quarta deest integra.***

CONSTIT. V.

DE [1] RELEVATIONE TRIBUTORUM PUBLICORUM.

Præstantissima inter homines bona sunt justitia et benignitas : quarum altera æquabiliter suum cuique tribuit, neque appetit aliena : altera ad misericordiam decurrit, et debitorum incommoditate egentes liberat. Hæc ornare firmareque imperium, hæc conservare rempublicam, hæc pulchre humanam noverunt gubernare vitam, et quæ sequuntur.

Const. II. — 1. N. 164.
Const. III. — 1. N. 161. — 2. L. 2, § 13, D. de orig. jur.; N. 133, c. 4, in pr.
Const. V. — 1. N. 163.

FINIS CONSTITUTIONIS TIBERII IMP.